



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Magis, Veneficis Et Lamiis, Deque His Recte Cognoscendis Et Pveniendis

Propter Varias & controversas de hac quaestione hominum sententias,
vtilissimus & cunctis ad Rerumpublicarum gubernacula sedentibus
maxime necessarius ... in tres libros distributus

Gödelmann, Johann Georg

Francofurti, 1591

VD16 G 2487

Candido Lectori Ioannes Georgivs Godelman S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61507)



CANDIDO LECTORI
IOANNES GEORGIUS
GOELMAN S. D.

Scriptionis, candide lector, præcipuum officium esse arbitror, ingenuè & palam fateri, per quos profecerit, & quorum opera industriaq; in suis scriptis se adiutum senserit, ne alienæ industriæ laudem, suppresso aliorum nomine, sibi tribuat, vt præclare Plinius ad Vespasianum Imperatorem in proœmio Naturalis historiæ scripsit. Quapropter lubenter fateor, me in hoc suscepto difficillimo labore, ita adiutum clarissimorum & doctissimorum Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum, & Philosophorum Europæ, quorum nomina & verba in singulis capitibus totius operis passim bona fide annotavi, scriptis & laboribus, vt absq; illis hoc iter nequaquam ingredi ausus fuisset: & lector attentus ipsorū res & verba cognoscet. Quid enim dici potest, quod non sit dictum prius? Inprimis verò quod ad Medica & Paracelsica à me in cap. VIII. lib. I. de curatori-

AD LECTOREM.

ratoribus morborum præstigiōsis, relata, attinet, plurimum me adiuuârunt clarissimi Medici. D. Francisci Ioëlis, piæ memorię, Collectanea disputationis suæ, de morbis hyperphysicis & rebus Magicis, quæ pro insigni sua humanitate mihi (ad absol- uendum cap. 8.) benignè communicauit, iuuenis eruditus & modestus D. Timotheus Ioël, D. Fran- cisci filius, amicus meus singularis: licet aliàs do- ctissimus ille vir in Disputatione sua in multis à me dissentiat, inq; contraria planè sit sententia, dum Lamiarum potentia nimium tribuit, nec aliquam differentiam inter Magos, Veneficas & Lamias sta- tuit, sed indistinctè omnes comburendas asserit. Non enim debeo nec volo aliorum labores & in- dustriam furari & mihi vendicare: cùm peruersi & infelicis ingenij sit, malle in furto deprehēdi, quàm mutuum reddere, vt Iason noster ait. Accipe igitur lector humanissime, hunc laborem, eo quo datur animo, & citra calumniam lege, Deumq; roga, vt Spiritu suo sancto etiam reliquos conatus meos, ad sui nominis gloriam, & Rei- publicæ salutem, dirigat.

Vale.

R 2

AD